



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Directorivm. Servandi Pvblicas, Sacrasqve Processiones,  
Sev Svpplicationes, Tam Ordinarias, quae fiunt certis  
diebus per annum; quàm extraordinarias, quae varijs ac  
publicis Ecclesiae de causis in ...**

**Coloniae Agrippinae, 1640**

Post Missam defuncti quid agendum

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9480**

## POST MISSAM.

**F**inita Missa sacerdos deposita casula, seu planeta, & manipulo, accipit pluuiiale nigri coloris, & Subdiaconus accipit Crucem & accedit ad feretrum, & se sistit ad caput defuncti cum Cruce medius inter duos Acolythos seu Ceroferarios cum candelabris, & candelis accensis: & omnes alij de Clero veniunt ordinatim in gradu suo cum candelis accensis, & stant in circuitu feretri: tum sequitur sacerdos cum Diacono, & assistente, alijsq; ministris, & facta reuerentia altari, sistit se contra crucem ad pedes defuncti, retro astantibus ei a sinistris duobus Acolythis uno cum thuribulo & manivula incensi, altero cum vase Aquae benedictae & aspersorio, & Acolytho seu Clerico tenente librum Absolute dicit sequentem Orationem.

Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia nullus apud te iustificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum ei tribuatur remissio. Non ergo cum, quæsumus, tua iudicialis sententia premar, quem tibi vera supplicatio

tio

tio fidei Christianæ commendat : sed gratia tua illi succurrente mereatur euadere iudicium vltionis, qui dum viueret, insignitus est signaculo sanctæ Trinitatis, qui viuis & regnas in sæcula sæculorum. *Resp.* Amen.

*Deinde cantatur Responsorium Libera me Domine.*

*Interim dum Resp. cantatur, Sacerdos Acolytho seu Diacono ministrante, accipit incensum de nauicula, & ponit in thuribulum, & finito responsorio cantor cum primo choro cantat Kyrie eleison & secundus chorus respondet: Christe eleison: deinde omnes simul dicunt: Kyrie eleison. Mox sacerdos dicit alta voce, Pater noster &c. & secreto dicitur ab omnibus: & ipse interim accipit à Diacono vel Acolytho aspersorium Aquæ benedictæ, & facta profunda inclinatione Cruci, quæ est ex aduerso, Diacono seu ministro genuflectente, & fimbrias pluuiæ subleuante: circumiens feretrum (si transit ante sacramentum genuflectit) aspergit corpus defuncti, deinde reuersus ad locum suum, Diacono ministrante; accipit thuribulum, & eodem modo circuit feretrum, & corpus incensat, vt*

*G*

*asper-*

*asper seriat: postea reddito thuribulo ei à quo  
acceperat, stans in loco suo, Acolytho seu alio  
ministro tenente librum apertum ante se  
dicit.*

*Vers. Et ne nos inducas in tentationem.*

*Resp. Sed libera nos à malo.*

*Vers. A porta inferi.*

*Resp. Erue Domine animam eius.*

*Vers. Requiescat in pace. Resp. Amen.*

*Vers. Domine exaudi Orationem meam.*

*Resp. Et clamor meus ad te veniat.*

*Vers. Dominus vobiscum.*

*Resp. Et cum spiritu tuo.*

## ORATIO.

**D**Eus cui propriū est misereri semper, & parcere: te supplices exoramus pro anima famuli tui. N. quam hodie de hoc sæculo migrare iussisti: vt nō tradas eam in manus inimici, neque obliuiscaris in finem: sed iubeas eam à Sanctis Angelis suscipi, & ad patriam Paradisi perduci; vt quia in te sperauit & credidit, non pœnas inferni sustineat, sed gaudia sempiterna possideat. Per Christum Dn. nostrum. *Resp. Amen.*

*Si*

*Si defunctus fuerit sacerdos, in Oratio-  
ne dicatur: pro anima famuli tui sacer-  
dotis, quam hodie &c.*

## IN IPSO LOCO SE- pulturæ

SE V

Quando defuncti corpus  
fertur ad locum se-  
pulchri.

**H**is per actis, si tunc corpus defuncti  
deferendum sit ad locum sepulture  
inter portandum clerici cantant seu Sacer-  
dos dicit sequentes Antiph.

In paradisum deducant te Angeli, in  
tuo aduentu suscipiant te Martyres, &  
perducant te in ciuitatem sanctam Hie-  
rusalem, Chorus Angelorum te susci-  
piat, & cum Lazaro quondam paupere,  
æternam habeas requiem.

Cum autem peruenerit ad sepulchrum,  
(si non est benedictum) sacerdos illud bene-  
dicit dicens hanc Orationem.

G 2

ORÉ-